



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Capvt XVI. Quibus authoritatibus muniti, dicunt, Christum non esse  
conceptum de Virgine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**

peccet, nec infans cuius est vita vnus diei super terram, Si verum est quod David testatur: (a) Omnis homo mendax; & alibi: (b) non iustificabitur in conspectu eius, omnis homo viuens; plusquam homo est, qui peccatum non fecit. Dicitur est Christus Emmanuel, id est, nobiscum Deus, hoc est, Deus manens in naturâ nostrâ.

## CAPVT XVI.

Quibus autoritatibus muniti, dicunt, Christum non esse conceptum de Virgine.

Conantur etiam prædicti asserere, Christum non esse conceptum de Virgine. Ait enim autoritas: (c) *Rorate cali desuper, & nubes pluuant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Quid per terram significatur, nisi Maria Mater Christi? quæ est huius terræ apertio, nisi Mariæ defloratio? In Ezechiele etiam legitur, (d) *quod clausa porta aperietur Principi.* Quid per Principem intelligitur, nisi Christus, Filius Ioseph? Et de ipso Christo, mater eius ait: (e) *Ego & Pater tuus dolentes quarebamus te.* Præterea, quomodo potest aliqua concipere vel parere, nisi viro cognita? Vbi autem Christiani dicunt, ecce virgo concipiet & pariet Filium, textus Hebræus non habet, Virgo, sed potius, abscondita, vel occulta.

## CAPVT XVII.

*Solutio Christianorum ad prædicta.*

His autoritatibus respondendo dicimus, quod per apertionem non intelligitur defloratio, vel libidinis fœditas, sed conceptionis fecunditas: aperta fuisse dicitur quantum ad Christi ingressum, non aperta per virum, sed sicut fenestra vitrea dicitur aperiri radio Solis,

*Bibliothec. Ord. Cisterc.*

(a) Psal. 115. (b) Psal. 142. v. 2. (c) Isaia 45. 8. (d) Ezech. 44. (e) Luca. 2. 48. (f) Isaia. 7. (g) Isaia. 7.

*Suprà.*

non per tracturam vel per diuisionem aliquam, sed quia radius eam intrat secundum sui subtilitatem naturæ. Hoc modo, imo subtiliori, dicitur porta clausa aperta esse Principi, quia Christus verum Virginis, per virginitatem clausum, intrauit ineffabili modo. Christus autem dicitur fuisse Filius Ioseph, quantum ad hominum opinionem, & quantum ad educationem. Secundum quâ acceptio, illi qui alios nutriunt, eorum Patres dicuntur. Verum est, quod sine cognitione viri lege naturæ nulla potest concipere vel parere, sed in miraculis non est querenda lex naturæ. Illud autem quod Iudæi negant scriptum esse in Isaia, (f) *Eccce virgo concipiet & pariet, &c.* Septuaginta interpretes, viri fide & scientiâ approbati, ita interpretati sunt, & ita interpretari voluit ipse Propheta, dicendo, & scribendo, ecce, abscondita, dicunt, concipiet, & pariet Filium, sed si communi sensu abscondita, id est, domi reclusa intelligitur, & nihil aliud, quid mirum, quid nouum, in eo concepti, & eius mysterij signum esse voluit cum ait: (g) *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, ecce abscondita concipiet, &c.* Hæc igitur nisi subtilius intelligantur, puerili omnino sensu & inani dicta esse a Propheta considerantur; quod quia credi & dici absurdum est, sensus est: abscondita, id est, ab amore virili & omni contagione peccati conseruata, concipiet. In Syro etiam idiomate, quod affine est Hebraico, Alma interpretatur, virgo; & vbi habemus, virgo, in Hebræo habetur, alma.

## CAPVT XVIII.

Quibus autoritatibus & rationibus probatur quod B. Virgo manens intacta, Christum concepit.

Quod autem gloriosa virgo manens virgo concepit, & sine virili semine, multiplex in-

Hh

siuat